



PRAENOTIONES

1. Monitum Seraphici. — « In principio primum
« principium, a quo cunctae illuminationes descen-
« dunt tanquam a patre luminum, a quo omne est
« datum optimum et omne donum perfectum, Patrem
« scilicet aeternum, invoco per Filium ejus Dominum
« nostrum Jesum Christum. » — « Oratio igitur
« mater et origo est sursum actionis in Deum. Ideo
« Dionysius in libro de Mystica Theologia, volens nos
« instruere ad excessus mentales, primo praemittit
« orationem. Oremus igitur et dicamus ad Dominum
« Deum nostrum: Deduc me, Domine, in via tua,
« et ingrediar in veritate tua. Laetetur cor meum
« ut timeat nomen tuum » (*Itin. ment. ad Deum*,
prolog. et cap. 1).

2. — Definitio. — I. « Mystica Theologia idem
est quod extensio amoris in Deum per amoris desi-
derium » (S. Bonav., *de Myst. Theol.*, in prolog.).
Unde, Theologia mystica auget et extendit amorem,
et hoc per desideria vera, continua, ardentia.

II. Theologia mystica vocatur etiam sapientia practica quae tractat de Deo quatenus bonus est et amabilis; scientia sanctitatis; scientia perfectiva intellectus et maxime voluntatis; scientia contemplationis, etc.

III. *Theologia mystica, quasi late sumpta et communius*, definitur: Practica scientia de modo Deum amandi, et nos ipsos odio habendi (Maës, *Theol. myst.*). Vel: scientia ex divinitus revelatis procedens, quae doctrinas ad perfectionem virtutum consequendam conducentes tradit (Schram, *Theol. myst.*).

IV. *Theologia mystica, stricte sumpta* est: scientia quae de contemplatione, et de donis mysteriosis ac supernaturalibus agit in ordine ad perfectionem christianam. Vel: illa Theologiae species, quae agit de contemplatione, et fideles dirigit circa dona spiritualia, extraordinaria ac quasi-mysteriosa (Cfr. Scavini, *Theol. Mor.*, l. 3, t. 10, d. 1, c. 3). Agemus de Theologia mystica et late et stricte sumpta: quia pro omnibus fidelibus scribimus, ut omnes « extendant amorem in Deum per amoris desiderium, » ut vult Doctor Seraphicus et mysticus.⁷¹

3. — **Divisio.** — I. Theologia mystica est vel *Experimentalis* et subjectiva, vel *Doctrinalis* et objectiva. Illa est elevatio mentis ad Deum per desiderium amoris purissimi et ferventissimi; vel motio anagogica; vel melius experimentalis cognitio habitata de Deo per amoris unitivi complexum (Cfr. Gerson, tr. 7, *sup. Magnificat*). Ista considerat actus con-

templativorum juxta principia et regulas ab Ecclesia traditas. Unde, Mystica doctrinalis dirigit quodammodo et disponit vocatos ad contemplationem. Mysticam experimentalem solus Deus proprie docet: doctores vero adjuvant mysticos seu contemplativos ne errent.

II. Mystica, sive experimentalis, sive doctrinalis, stricte sumpta, est: *incipientium*, si agatur vel tractetur de iis quos Deus purificat ad primos contemplationis gradus; *proficientium*, si de iis qui, jam ex parte purificati, recipiunt quaedam peculiaria dona; *perfectorum*, si de iis qui pervenerunt ad unionem stabilem cum Deo, ut alibi dicitur.

III. Mystica late sumpta agit de via purgativa, illuminativa, et unitiva, seu de incipientibus, proficientibus et perfectis, sive viis ordinariis, sive extraordinariis. — Agemus de mystica doctrinali.

4. — **Objectum** Theologiae Mysticae sunt experimentales actus (praecipue extraordinarii) devotorum ad perfectionem et contemplationem tendentium, quatenus praedicti actus conformes vel disconformes sunt ipsi perfectioni et contemplationi. Ergo Deus est objectum mediatum; actus vero mystici perfecte vel imperfecte unitivi sunt objectum immediatum Theologiae Mysticae doctrinalis.

5. — **Finis** Theologiae Mysticae est, animam per viam perfectionis ducere usque ad unionem perfectae charitatis cum Deo, mediantibus regulis verae et sanae prudentiae ab Ecclesia, Patribus et Theologis approbatis vel traditis.

6. — Differentia. — I. Theologia Mystica differt a Theologia Scholastica. Quia 1° illa tractat de Deo quatenus est veritas amabilis; ista de Deo quatenus est veritas cognoscibilis. 2° Scholastica est perfectio intellectus; Mystica vero est (praecipue) perfectio voluntatis.

II. *Theologia Mystica differt a Theologia Morali.* Quia 1° Moralis componit mores excludendo peccatum; Mystica vero non solum excludit peccatum, sed tota occupatur in perfectione addiscenda et exequenda. — 2° Moralis principaliter divertit a malo, seu docet divertere a malo per observantiam praeceptorum affirmativorum et negativorum; Mystica vero principaliter facit bonum, i. e. conducit ad perfectionem et contemplationem per observantiam consiliorum, et imitationem sanctorum.

III. *Theologia Mystica differt a Theologia Ascetica.* Quia 1° ista ordinarium perfectionis exercitium et media docet; illa vero agit principaliter de viis et mediis extraordinariis. 2° Mystica supponit Asceticam; Ascetica vero non supponit Mysticam. 3° Ascetica est fundamentum verae Mysticae: unde, mystici haud ascetae, seu perfectionis haud cultores, sunt falsi mystici. 4° In omni studio mystico invenitur aliquid ascetismi: in rebus autem pure asceticis nunquam agitur de mysticismo stricto sumpto.

7. — Sublimitas. — I. Theologiae Mysticae sublimitas exoritur ex ipsius objecto sive mediato sive immediato.

II. Theologia Mystica est vere Ars artium, et lu-

minare directionis animarum seu operis omnium divinorum divinissimi.

III. Theologia Mystica agit de altissimis et mirabilibus effectibus divini amoris in cordibus eorum qui totis viribus sese Deo dederunt, et illius voluntatem in omnibus unice quaerunt, abnegantes saecularia desideria et nihil aliud scire volentes quam Jesum et hunc crucifixum, quique cum D. Dionys. (*Theol. Myst.* c. 1), dicere possunt: « Dirige « nos (Sanctissima Trinitas) ad mysticorum oraculorum plusquam indemonstrabile et plusquam « lucens et summum fastigium, ubi simplicia et ab- « soluta et immutabilia Theologiae mysteria aperiu- « tur in caligine, plusquam lucente silentii arcana « docentis ».

8. — Utilitas. — I. Theologia Mystica est illa divina sapientia cujus possessio est melior quam possessio auri et divitiarum: Ergo... — De ipsa dicit Scriptura (*Prov. 16, 16*): « Posside Sapientiam quia « auro melior est ». — « Sapientia haec, ait D. Bonnav. (*de Myst. theol., in prol.*) mystica Theologia dicitur. »

II. Theologia Mystica est ornamentum sacerdotale: quia magni doctores mystici hanc scientiam non speculative tantum, sed et aliquantulum practice coluerunt. Sacerdos per mysticam est lux pro aliis, ignis pro se: ergo lucet et ardet. Unde optimi animarum directores sunt: 1° pii et devoti; 2° docti et sapientes in rebus mysticis. Ergo sacerdos parum utiliter alios ad perfectionem ducere conabitur, si

ipse minime curat de proprio spirituali profectu. Merito dicendum cum Alvarez de Paz (*Praef. de vit. spir.*): « Haec est vera sapientia, quae non in je-
« juna speculatione, sed in utili operatione sita est;
« non in disputationibus, sed in fuga ab omni malo,
« in adhaesione incommutabili bono et in perfecta
« mandatorum observatione, atque in animi puritate
« consistit ».

III. Ex dictis patet, Theologiam Mysticam ideo utilissimam dicendam, quia: 1° tendit ad ipsam Directorum perfectionem; 2° ac proinde in ipsa speculatione inclinatur ad experimentalem Mysticam; 3° est magnum adjumentum Magistrorum et discipulorum in via sanctitatis. — Bona est ergo Mystica doctrinalis; melior Mystica experimentalis; optima Mystica experimentalis-doctrinalis, seu speculativo-practica.

9. — **Necessitas.** — I. *Theologia Mystica doctrinalis est necessaria omnibus animarum directoribus.* Quia 1° notiones mysticae, ut dictum est, differunt ab aliis theologiae notionibus, ac proinde requirunt speciale studium. « Quamvis ambae Theologiae germanae sint, ait Lopez Ezquerria (*Lucern. Myst.*, tr. 1, c. 6), habet tamen mystica (*etiam*) « alia principia, diversos modos, et non paria studia « quae... discernenda sunt. » Quia 2° in omnibus fere civitatibus et locis inveniuntur animae Deo specialiter dilectae, perfectionem ardentissime sectantes, et a Domino specialissime visitatae, quorum directio exigit notitiam viarum contemplationis. Ergo « necessarium prorsus est quod Magister sit doctus...

« in illa divina sapientia, quam docuerunt Petrus et Paulus; ideoque ejus studium non tam Theologiae Scholasticae quam Mysticae et spiritualis sit » (Lopez Ezquerria, *ibid.*). Quia 3° « Deus animas per « diversas vias ad se trahit, et necessarium est quod « Magister aliquam saltem notitiam habeat singularum. Quare debet plures mysticorum libros revolvere, in quibus per assiduum studium versatus « sit, ut id de quo experientiam non habet, a Doctorum experientia et doctrina accipiat » (*Idem, ibid.*).

II. *Sola Mystica experimentalis non sufficit ad alios dirigendos.* Quia 1° « Experientia quidem juvat « plurimum; at est fallax, maxime in his materiis, « quae cum non sint physicae, sed morales, subjectae « sunt quam maxime varietati » (*Segneri*). Ergo Theologia Mystica doctrinalis est necessaria ad evitandos errores in via perfectionis. Quia 2° « sine « Theologia Mystica doctrinali, sola experimentalis « facile ad spiritum declinat privatum et illudum, « qui est fomes omnium haereticorum in speculativa, « et illusorum in Mystica » (*Schram*). Quia 3° « com- « pertum est multos habere devotionem, sed non secundum scientiam: quales procul dubio pronissimi « sunt ad errores, etiam super indevotos, si non reputaverint effectus suos ad normam legis Christi: « si praeterea capiti proprio, propriae scilicet prudentiae inhaeserint, spreto aliorum consilio » (*Gerson*).

III. *Reprobanda aliquorum confessoriorum negligentia in Theologia Mystica addiscenda et co-*

lenda. Quia « illorum (confessariorum) est alios in
« perfectionis via instruere, manuducere, corrigere,
« excitare, etc.; suntque ipsi praecipue a quibus per-
« fectionis panem petere habent parvuli: adeo ut, si
« ipsi in hac via non satis versati sint, hac eorum
« ignorantia contingat saepius, quod multae simpli-
« ciores animae, alioquin bonae voluntatis et ad Deo
« perfectiori quo scirent modo serviendum promptis-
« simae, perfectiores tamen non evadant; utique quia
« patrem nactae non sunt, qui eas in perfectis se-
« mitis instruat. Quod certe non parum in Christi
« animarum Sponsi injuriam redundat » (Maës, *Theol.*
Myst., prooem.).

IV. *Damnandi contemptores scientiae Mysticae.*
Quia 1° Favent cuidam quasi-rationalismo et mira-
bilia divina veluti aspernuntur: rejiciunt quodam-
modo Spiritus Sancti specialia dona; spiritualem vi-
tam non tantum negligunt penitus, verum etiam
tanquam Monialium ac Devotarum nugas vel quasi
deliria exsibilant. Quia 2° Tales contemptores habent
consocios ipsos Protestantes, juxta illud Scavini
(n. 464): « Sunt qui illam (Mysticam) ejusdemque
« tractatores, licet doctissimos, rident passim, aliquo
« modo accedentes ad protestantes, inter quos vix
« credibile est quot injuriis Mysticam ac Mysticos
« prosecutus est Moshemius, ut refert Bergier. Ve-
« rum nedum spernenda, imo tanquam utilis et ne-
« cessaria haec scientia habenda est; nam cum dentur
« animae illis mysteriosis donis a Deo donatae, re-
« quiritur in confessario (aliqua saltem) circa eadem

« scientia, ut erga poenitentes etiam in his magistri,
« doctoris et patris officio fungatur ». — *Theologus*
mysticus non ex levi credit, sed ad normam do-
ctrinae et traditionis Ecclesiae accurate examinat
actus experimentales mysticorum, ut pretiosum a
*vili separetur. — Cfr. Verhaege, *Man. Theol. Myst.*;*

P. Seraphin. passionista, *Princip. Theol. Myst.*;
Lopez Ezquerra, *Lucerna myst.*; etc., etc.

10. — **Fontes** Theologiae Mysticae. — I. Scriptura
Sacra; — II. Traditio; — III. Ecclesia, Caput Ec-
clesiae seu Romanus Pontifex, Concilia; — IV. Uno
verbo, omnes loci theologici sive interni, sive externi
(*Vid. nostrum Comp. Theol. Dogm., de locis theol.,*
prooem.). — Hinc « Principia, e quibus Theologia
Mystica suas regulas et veritates accipit, eadem sunt
e quibus Theologia Dogmatica, Polemica, Moralis et
Scholastica suas veritates, regulas et conclusiones de-
ducit, » ait Schram, 3.

11. — **Principes** hujus facultatis: D. Thomas et
D. Bonaventura. — D. Thomas cum veritate Theo-
logiae Scholasticae scripsit multa quae Mysticae sunt
propria, et quia ambae scientiae sunt sorores invi-
cem quasi conjunctae, utramque eminenter coluit An-
gelicus Doctor (Ita ex Ludov. a Ponte, *Medit.* p. 1,
introd.). — D. Bonaventura « singulariter inter om-
nes Doctores Catholicos, pace omnium salva, videtur
idoneus et securissimus ad illuminandum intellectum,
et ad inflammandum affectum » (Gerson. Part. 2,
tit. de legend. lib. a Relig.). Et alibi ait: « Sint
« alii Doctores, qui dicantur Cherubici: Bonaventura

« autem verissimo nomine Seraphicus simul et Cherubicus, quia inflammat affectum, et erudit intellectum, reducit et unit ad Deum per amorem excitativum; dum alii multi solum divaricant et dispergunt intellectum per praecisiones, prioritates et posterioritates, per signa et contingentia, cum tamen unum sit necessarium » (Gerson. *Epist. ad quemd. Min. anno 1426*). — « Multi doctrinam proferunt, devotionem praedicant multi, pauci scribendo libros docuerunt utramque. Bonaventura autem et multos superavit et paucos, dum ejus doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam. Si ergo doctus vis esse et devotus, illius Opusculis esto intentus » (Joan. Trithemius Ord. S. Bened., *de Scrip. eccles. c. 464*).

NOTA. — I. Praeter Angelicum et Seraphicum, maxime commendantur D. Dionysius, eximius magister mysticus S. Joannes a Cruce, et suavissimus S. Franciscus Salesius, Episc. Conf. et Ecclesiae Doctor. — II. Inter praecipuos mysticos, floruerunt innumeri fere Doctores hispani, cum S. Petro ab Alcantara, S. Theresia a Jesu, etc., etc.

12. — **Adversarii** verae Mysticae. — I. Gnostici, Albigenses, Fratricelli, etc. — II. Illuminati, Quietistae, etc. — III. Rationalistae, Semi-Rationalistae, et Liberalismi sectatores, qui duobus dominis plus minusve servire intentant. — IV. Negligentes non pauci in vita spirituali et perfectione, qui etiam studium orationis mentalis ignorant, vel de via meditativa minime curant, nec quoad se, nec quoad alios.

NOTA. — Ex istis, Gnostici, etc. horrendas abominaciones committebant; Illuminati, etc. spirituales progressum impediabant quadam passivitate, inertia et aliis aberrationibus, non raro abominacionibus et libidine plus minusve admixtis; Rationalistae, etc. rerum spiritualium vel sunt contemptores, vel irrisores, vel illas parvifaciunt; Negligentes denique, potius vitam mundanam quam christianam sectantur, et paucissimis actibus externis contenti, compunctionem cordis et solidam pietatem illis relinquunt quos *devotos* et *beatos* prava intentione et injuriose vocant. Ergo adversarii verae Mysticae sunt: 1° Ignorantia, pigritia et libido; 2° Incredulitas, indifferentia, impiorum societas et libertinorum amicitia; 3° Acedia, tepiditas, et fervoris carentia.

13. — **Methodus.** — I. Imprimis agemus de *Perfectione spirituali*, seu de *fundamento vitae vere mysticae*. Deinde tractandum est de *viis contemplationis seu stricte mysticis*, ubi de *Contemplatione*. Denique, spiritualium Directorum haud facilia munera et officia docentur, ubi de Magisterio spirituali.

II. In rebus mysticis, fugienda curiositas, judiciorum celeritas, mysticorum dirigendorum aviditas, humana seu carnalis prudentia, mundana principia, privata opinio, et (praecipue) pietatis et scientiae neglectus. « Praeventis igitur divina gratia humilibus et piis, compunctis et devotis, unctis oleo divinae laetitiae et amatoribus divinae sapientiae, et ejus desiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum ma-

gnificandum, amandum et etiam degustandum, speculationes subjectas propono, insinuans quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostrae tersum fuerit et politum » (S. Bonav., *Itiner. mentis ad Deum, prolog.*).

14. — Varia. — I. *Theologia Mystica merito utitur terminis metaphoricis et locutionibus propriis.* Quia altissima perfectionis arcana imperfecte tantum exprimi possunt ab humana lingua. Unde « jure merito benigne accipiendi sunt termini, et « mysticae locutionis modi, praesertim cum Theologia « Mystica proprias et reconditas phrases et locutiones « sibi vindicet » (*Vict. Gelens.*). « Operationes in- « teriores praesertim, non ita clare proferuntur, nec « ita possunt scriptis tradi, sicut sentiuntur: et haec « est ratio, quare Apostolus dixit, se audivisse ar- « cana verba quae non licebat homini loqui; quoniam « minus poterat tradere (B. Dionysio, *exempli gratia*) « quam acceperat » (*Gerson*).

II. *Theologia Mystica est 1° Scientia*, quia nititur principiis fide divina creditis; 2° *Sapientia*, quia per altissimas causas cognoscit altissimam contemplationem; 3° *Practica*, quia tendit ad operationem per orationem, mortificationem, seu conducit fideles per viam sanctitatis (*Cfr. hucusque dicta*).

III. NOTATU DIGNA: 1° « Sublimis haec sapientia humilibus, quantumvis simplicibus, manifestari solet; occultari vero superbis, licet eruditissimis » (*Bracharensis*). Ergo, Mysticae studium comitetur humilitas. — 2° « Contra usum aliarum scientiarum, in ista

sapientia practica praecedit theoreticam » (*S. Bonav.*). Unde, « qui experti non sunt res mysticas, credant « inde eidem ipsi dicenti: si adhuc dubitant, acce- « dant certe, et probent, et sic in semetipsis di- « scant quid sit » (*S. Bern., serm. 32, in cant.*). — 3° « Multa interdum experiuntur viri sancti contem- « plationi dediti, qui etiam, ut sensum expriment, « utuntur subinde quibusdam dicendi formulis, quae « benigne sunt intelligendae » (*Lesius, de sum. bon.,* l. 2, c. 1). — 4° *Mediocris scientia cum vera experientia faciunt accuratum theologum mysticum:* « Ma- « gistra enim intelligendi est experientia » (*S. Bonav., Itiner. ment. ad Deum*). « Quomodo enim poterit « aliquis perfecte concipere, quid sit libertas filiorum « Dei, aut dulcedo divini amoris, si eam nunquam « experiri licuit? » (*Barth. a Mart., Comp. spirit.,* c. 12). — 5° *Attamen, ad Theologiam Mysticam docendam vel addiscendam, sufficit quod docens vel discipulus, cum fervore in via Domini incipiat vel proficiat, quo modo Mysticas veritates vitae spiritualis proprias, vel explicare, vel capere poterit (Cfr. Schram, 4).* Unde, non sufficit siccum studium. — 6° *Mystica « est sine dubio quae incomparabiliter « excedit omnes alias scientias et artes Universi: quia « est omnibus altior, nobilior, sanctior, utilior, de- « lectabilior et diuturnior » (Lud. a Ponte, introd. ad duces spir.): « Siquidem (haec scientia volun- « tatis et perfectionis) sola sine aliis Deo gratissima « est, et reliquae sine ista neque in coelestem tha- « lamum admittuntur, nec pulchrae et decorae exi-*

« stimantur. Haec est vera justorum sapientia » (Alvarez de Paz, *praef. ad vit. spir.*). Concludendum est iterum dicendo: S^s mysticus practico-speculativus. Nam « et tantum lucere vanum, et tantum ar-
« dere parum; lucere et ardere perfectum » (S. Bern., *serm. in Nat. S. Joan.*)

15. — Magister Theologiae Mysticae: **B. Maria V.**, vera Consolatrix ac refugium nostrum, quae merito vocatur: « Lux diei mysticae » (S. Andr. Cret.): « Perfectio hominum » (S. Antonin.): « Directio dubitationis nostrae » (S. German.): « Doctrinae sapientiae Dei, docens veram sapientiam verbis suis et « exemplis » (*Idiota*): « Magistra contemplationis » (S. Antonin.): « Contemplatrix divinatorum Filii mirabilium, Deiformiumque operationum » (*Dion. Carth.*).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Nulla unquam inordinata affectio, nec distractio, mentem Virginis a contemplationis lumine revocavit, nec occupatio ulla exterior (*Dion. Carth.*). — Maria est « oratrix nostra, ut ab hostibus nostris liberemur » (S. Jos. Hymn.): est « oraculum contemplantibus » (*Barth. de Pisis*).

Mariam invoca. — O Mater mea! « Undique sollicita es de miseris, misericordiam vallaris, solum misereri videris appetere » (S. Bonav.).

Mariam laetifica. — Orationis et meditationis studio. Etenim, « virtus orationis in B. Virgine excellentissima fuit » (B. Alb. Magn.). — *Ut sim servus Filii, servitutum appeto Genitricis* (S. Ildef.).

TRACTATUS DE PERFECTIOE SPIRITUALI GENERATIM

CAP. PRIMUM.

DE NATURA PERFECTIOE SPIRITUALIS.

16. — Praenotandum. — « Viae Sion lugent (i. e. « virtutes, ait Hugo), eo quod non sint, qui veniant « ad solemnitatem ejus » (*Jerem. 1*). « Tamen hoc « poterit speculator quisque intelligens exclamare, « (*videns*) tantam captivitatem animarum; tantam « declinationem a semitis justitiae. Quae viae etiam « lugere dicuntur; eo quod abjecta vera sapientia, « tam clerus, quam populus mundanis delitiis, vel « inutilibus curiositatibus se immergat: in quibus « sic mens ipsorum ita totaliter possidetur, ut vera « sapientia locum in eis non inveniatur » (S. Bonav. *Myst. prol.*). Ergo, agendum de vera sapientia seu perfectione, non ad speculationem tantum, sed etiam ad propriam praxim, ut dictum est alibi.